



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu  
Decretalium pentateu-||chus**

**Mesnart, Martin**

**Parisiis, 1555**

xvi. Vt lite pendente nihil innouetur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

absentibus, obtulerit, & possessionem sibi resignari postulasset, olli etiã post annum recepta ab ipso cautione huiusmodi possessio restituitur.

Aduorsus eum quoque qui recedet adpellans, <sup>3. Cum venissent.</sup> si propter eius contumaciam decreto iudicis in rerum petitarum possessionem missio facta fiet, & expensas taxatas restituere damnas erit: ipse cautione intra annum oblata in possessione reducitur. Si adpellatio rationabilis erit, neque frustratorie adpellasset: ad eas restituendas ne damnator, neque cogitor. Alioquin, eas quæ necessariæ in lite propter hoc factæ erunt, restituitur.

*Vt lite pendente nihil innouetur. Tit. 16.*

**L**ITE pendente nihil innouatur.

Itaque alteruter cõiugum matrimonium <sup>Rubrica.</sup> si adcusabit: alter ante probatam adcusationem <sup>2. Laudabilem.</sup> iure quod habet in altero ne priuator.

Sic & super qua re, quove iure alicui lis movebitur, quominus is & successores sui eo utantur, sicut ipse & eius præcessores iusto titulo facere consuerunt, quousque diffinitiva sententia de iure decernatur, literæ etiam prohibitionis à principe impetratæ præiudicium ne faciunt. <sup>1. A memoria.</sup>

Sic & cœpta lite iudices in negotio iuxta traditam sibi formam procedũto. Indulgentia si que <sup>5. Dilectus.</sup> post lite pendente obtenta erit, neque de ipsa mentionem faciet: ne obstato.

Quinimo super qua possessione lis erit, si lite <sup>3. Ecclesia</sup> pendente in alium translata fiet: neque ipsam <sup>4.</sup> qui habebit emptor, nec si quis in ius & locum



## De Sequestrat. poss. & fruct.

ipfius succedet, interim alienare præsumito. Et ita auctori, cum de vitio litigiosi contractus, reive proprietate experiri volet, quod euincere possit & habere, seruator.

4. Eccle-  
sia. 4.

Quod si quæ possessio litigiosa in alium transferetur, neque, cum restituenda erit, is, à quo petetur, restituere poterit: loco ipsius tantundem possessionis æquivalentis ad arbitrium boni viri liberè adsignato.

### De sequestratione possessionum & fructuum. Tit. 17.

1. Ad  
hoc.

**C**um possessio semel adiudicata erit, si post eam eo de proprietate agatur, & contumax erit: nihilominus in eam iudex mittito. auctor ab ipso si impeditus erit: moderatas expensas, quas à missionis decreto vsque ad satisfactionis obtentæ tempus propter hoc faxit, recipito. Reus sufficientem iudicio standi cautionem præstato, sic possessionem recipito. Iudex eam arbitrio suo ne sequestrato. si factum erit: reuocator.

2. Dile-  
ctus.

Si tamen is, qui in rei possessionem seruandæ eius ergò missus erit, fructus medio tempore perceptos pro suæ voluntatis libito distrahet: fructus ipsi sequestrantur, quod distractum erit in statum pristinum reuocator.

3. Ab eo.

Ab eo quoque qui à sententia prouocasset, si fructus dissipabit, lite pendente sequestrantur.